

V C
3124



Q 0



Q. h. 28,9

ORATIO SECVLARIS

MONVMENTVM

erga

&

DEVM OPT. MAX.

Pietatis,

&

Illustriss. Divos Electores, Celsiss.

simúmque, ac florentissimum Principem,

ac Dominum,

DN. CHRISTIANVM II.

DVCEM, ATQVE ELECTOREM

SAXONIAE, LANDGRAVIUM THV-

RINGIAE, MARCHIONEM MISNIAE,

BVRGRAVIUM MAGDEBVRGI,

devotionis,

&

CELEBERRIMAM ACADEMIAM

VVITEBERGENSEM

venerationis;

Ad ante XV. Cal. Novembr. natalem eius

Academiae centesimum,

Scripta ab

ADAMO THEODORO SIBERO,

Orat. P.

VVITEBERGAE,

Typis Cratonianis, Anno dñi 1672.

7.

Vc

3124





I QUAS MIHI DICENDI
partes imperare sacro isto tempore, atque
imponere pietas debuit, eas aut ad no-
strorum hominum expectationem, & iu-
dicia exigere, aut ad insectationem, &
calumnias adversariorum revocare vo-
luissem: nunquam profecto, Auditores,
pedem in hunc locum tulissem. Quan-
quam de istorum amentia laborare, se ipsum foret recordiae con-
demnare. Postquam enim veritatem ipsam doctrinae caelestis
mendacijs obliterarunt, erroribus foedarunt, fraudibus implica-
runt, & tyrannide barbara, ac sacrilega e divina Ecclesia pro-
fligarunt: mirum videri nemini debet, si quae veritatis illius
cultores dicant, aut faciant, non solum ludibrio, atque irrisui ha-
beant, sed diris etiam defigant, sed flammis etiam lustralibus, si
Februo placet patri ipsorum, exurant. Nos vero, divina
gratia, eo & animi robore, & ingenij vigore sumus, ut illos su-
perstitionis plus quam nefariae, & gentilis artifices, atque anti-
stites, nullo vicissim loco, ac numero ducamus. Illud potius,
Auditores optatissimi, illud animum meum varijs curis distrahit,
nec in ulla certa cogitatione consistere facile patitur, ecquod tan-
dem orationis argumentum huic solemnitati comparare queam,
quod nostrorum hominum expectationi, si non omni, at aliqua sal-
tem ex parte, respondeat. Meministis enim certe, quae fuerit his
proximis diebus, ac mensibus de praesenti tempore, in hoc loco, ser-

monum frequentatio, quæ percontationum, sciscitationumq̄ tur-
ba. Quid autem putatis alibi cogitari? Cogitari dico? imò quid
non expectari, postulari, exigi? quò maiore animi provisione
opera nobis danda est, ut illam spem, & expectationem tantam
res ipsa, & satisfactio consequatur. Tametsi quo modo id fi-
eri queat, parum equidem, ita mihi optata contingant, video.
Ut enim ingenij cuiusque aut cultus est, aut captus, ita aliorum
iudicio normam præscribere, ac modum eruditioni imponere non
dubitat. De quo tamen germanus Orator dicendi rationes su-
spensas habere non debet: ac iubere potius animadvertere prius
quemque, quid sit illud, quod in dicendo deceat, id quod etiam in
vita reliqua & primum est, & summum, quam ut censuram, si-
ne rectè intelligentium suffragio, ultrò sibi decernat. Ego au-
tem, qui in optima dicendi ratione, in qua assidue versor, nondum
eos progressus fecissem, quibus ipse mihi in omni dictionis genere
dux esse possem, ita Rhetores nostros accessi, à quibus, quid in
huiusmodi argumento sequendum esset, discerem. At boni il-
li doctores nihil, quod præciperent, habebant. Adij Oratores
ipso; at ne hi quidem magistris illis in hac parte disertiores
erant. Tandem igitur Historicos, ac Poetas excussi, si quid
illi fortè adiumenti suppeditarent. Atque ecce, reperi ibi, & vel
in primis in Pindaro illo Romanorum Horatio, quod nos si non
penitus instruere, & erudire, ac commonere tamen, ac dirigere
aliquantum possit. Quò indulgentiorem veniam deberi mihi,
ac pleniore à vobis manu tributum iri confido, si in hac nova,
atque ante hunc diem inusitata, & ex hoc loco fando nunquam au-
dita dicendi materia, non usquequaque vel vobis, vel mihi etiam
ipsi

ipsi satisfecero. Quicquid tamen argumenti huius insolentiae, ac
novitatis est, operam dabo, ac fortasse praestabo quoque, ut simul-
la alia re, certè orationis brevitate, & quadam, ut spero, eti-
am dexteritate & mihi, & vobis satisfaciam. Vestrum est, Au-
ditores humanissimi, non solum auribus, sed multò magis animis
adesse nobis, & quae pro re nata, & concessa ingenij, ac iudicij
copia dicentur, bene, benignèq; & arbitrari, & accipere. Igi-
tur, quod bonum, faustum, felix, ac fortunatum sit, hic dies fe-
stus, atque auspiciatus orbi illuxit, qui huius Academiae Vitebero-
gensis seculum primum condit. Seculum autem appellarunt
Romani tempus, si ve centum decem annorum, ut est apud Sibyl-
lam, & Poetam, quem diximus, lyricum, si ve duntaxat centum,
quòd alij maluerunt, & non sine ratione sequendum nos censui-
mus, id què ea de causa, quòd longissimum illud spacium senescen-
dorum hominum existimarent; unde etiam praekonis voce popu-
lus invitabatur more solenni ad eos ludos, quos nec spectasset
quisquam, nec spectaturus esset: nominatum si ve à senendo, ob
eam, quam diximus causam, si ve à sequendo, propterea, quòd
alterum seculum sequatur, atque excipiat alterum, perpetuo ans-
fractu in se revolutum, si ve potius à secando, eò quòd motus
certis temporum praescriptionibus secetur in partes. Inde dicti
sunt ludi seculares, instituti primum à Pub. Valerio Publicola,
& centesimo quoque deinceps anno à Quindecim viris instaurati,
omniq; apparatus genere, sacrificiorum, supplicationum, lectister-
niorum, per vigiliarum, spectaculorum etiam tum Circensium,
tum scenicorum, tribus diebus, ac noctibus, celebrati. Itaque &
sacra faciebant, & victimas mactabant, & lectisternia frequen-
tabant,

tabant, & populo piamina dividabant: tum ludos varios celebrabant, & certamina gymnica, Musicaq; edebant: præterea in Circo Maximo, aut campo Martio quadrigarum agitationes, equorum cursus, Troiae lusum, munera gladiatoria, bestiarum venationes, elephantorum pugnas, navales, ac terrestres velitationes, oppidorum expugnationes, & alia denique id genus spectacula exhibebant. In primis autem canere solebant tertio demum die, ter noveni pueri prætextati, totidemq; puellæ, patrimi omnes, ac matrimi, Græca Romanaq; lingua, hymnos, quibus incolumitatem, & salutem populi Rom. dijs suis commendarent. Cuiusmodi hymni extant hodieq; apud Catullum unus, apud Horatium tres, eorumq; postremus longè pulcherrimus, ac luculentissimus, quum ludos seculares Augustus Cæsar arbitrato suo, non suo tempore, edidisset, hoc est, post pugnam Actiacam, in honorem præcipuè Apollinis, quòd putaret, se eius præsidio Victoriæ ab Antonio, & Cleopatra reportasse. Atque hæc pauca animi causa, sed ut spero, neq; inepta, neque inerudita, ac ne protrita quidem ex antiquitatibus Romanorum, quibus, post Græcos, humanitatem, ac literaturam omnem debemus, repetere visum fuit; quibus scilicet aditus aperiretur ad eius orationis auspicia prosequenda, quæ festivitati huic nostræ seculari quàm proximè conveniret. Quos igitur ludos apparabimus nos, aut quæ munera edemus? sanè pro magnitudine, atque opulentiâ imperij illius, proclive fuit Romanis, magno numero dare non modò elephantos, leones, tigrides, alces, hyenas, camelopardales, sed hippopotamum etiam, & rhinocerotem, tum mille paria gladiatorum, quod de Philippo Imperatore legimus. Verùm
quæ

quæ potuit esse homini politico, ut rectè, & gravissimè ait Cice-
ro noster, delectatio, quum aut homo imbecillus à Valentissima
bestia laniaretur, aut præclara bestia venabulo transverbera-
retur? quid porvò delectationis habeant sexcenti muli in Clytæ-
mnestra? aut in Equo Troiano craterarum tria millia? aut ar-
matura varia peditatus, & equitatus in aliqua pugna? quis deni-
que athletas desideret, cui gladiatores contemnēdi sint? itaque
fuerint ista tum magnificentia cuiusdam incredibilis ostentamen-
ta, tum insanie certè partim ridendæ, partim etiam damnandæ
manifesta fuerunt argumenta: nobis tam beatis, & opulentibus
esse non licet. Quanquam quod ad ludos scenicos, atque etiam
musicos attinet, habet quisque in tot Græcis, & Latinis Poetis,
in quibus potissimum tragicis, & comicis, Aeschylo, Euripide,
Sophocle, Aristophane, Terentio, Plauto, quo & ocium suum
oblectare, & animum honestissima, purissimaque voluptate re-
creare, & ingenium ipsum prudentia, ac doctrina civili ornare
luculenter possit, ita ut illis ex Hetruria ludionibus, ipsorum adeo
Roscio, & Ambivio carere æquo animo possit. Ac vult aliquis
nostrum videre spectacula illa Circensia, aurigarum factiones,
equitum procuriones, athletarum luctationes, ipsas præliorum de-
pugnationes, urbium obsidiones, atque excidiones? Pindarum le-
gat, Homerum legat, Virgilium legat: ibi in rem multo præ-
sentiorè, atque apertiorè veniet, quàm si Romæ coram præsens
ipse in illo genere fuisset. Neque tamen non agones & ipsi gymni-
cos habemus, non quidem quinquertium illud, quo cursu, lucta,
pagilatu, saltu, disco, & certabant, & vincebant, in quibus
tamen opera, & oleum non modò Cn. Pompeio Magno perierit,
sed

sed omnibus, qui se ad magnas, & serias res, tum spectandas, tum
exercendas natos esse meminerunt. Producemus igitur nos die
crastino, quod Reipub. bene vertat, triginta paria, & quod ex-
currit, virorum ac iuvenum, virtute, & eruditione iuxta spe-
ctatorum rude quasi philosophica donandorum, & iure aureo-
rum annulorum, ac laurea doctoria cobonestandorum. Hæc nimis
rum, Auditores, illa præclara, illa gymnasio nostro dignissi-
ma arena est, in quam vera virtus descendit, hoc amphitheatrum,
in quo erudita doctrina spectatur, hæc palæstra, in qua decen-
tissimi, atque ingeniosissimi nō corporis, sed animi motus exercen-
tur, hic denique Circus ille Maximus est, in quo omnis generis lite-
ratura, humanitas, disciplina, & artes, ac scientiæ liberales u-
niuersæ frequentantur. Huiusmodi ad agonem vincendum,
necesse est unūquemque ingenuè natum, atque educatum, ita rati-
ones vitæ instituere, ut cum igna via pugnam, cum segnicia lu-
ctam, cum inertia certamen suscipiat, imperitiam è mente, rudi-
tatem ab ingenio, socordiam è pectore, tanquam de statu suo de-
jiciat, denique eò omni animi corporisq; nisu incumbat, & conten-
dat, ut in gradu diligentiae, assiduitatis, & industrie firmo,
atque immoto pede consistat. Ex hisce ludis verè & musicis, &
Apollinaribus, ac dicam etiam Iuvenalibus, non brevis, atque
inanis voluptas nescio quæ, ad paucos aliquot spectatores ociosos,
sed fructus redit solidus, ac perpetuus ad omnes, qui in Republi-
ca sese ad diuinas, humanasq; res tum cognoscendas, tum capess-
cendas à natura, atque ab ipso potiùs Deo factos esse non igno-
rant. Restat, ut de altero festiuitatis secularis genere, verba
itidem breuiter faciamus, quod in religione, hoc est, victimarū
macta-

maetatione, votorumq; nuncupatione positum Romanos habuisse diximus. Cuiusmodi autem illa religio, vel superstitio potius fuerit, ex nullo historico melius, quam ex eiusdem illius Poetae carmine, cuius saepe jam meminimus, didiceris. At, Augustum Caesarem boves candidos immolasse: quot immolarit, non addit, neque id hilum ad rem facit: Vates ipse chorum suum venerantem, atque invocantem inducit Solem, & Lunam: Parcas, & Cererem: Iovem, & omnes Deos. Solem orat, ut nihil unquam Vrbe Roma, eiusq; imperio maius, ac potentius videat: Lunam, ut connubiis, & puerperis rite adsit: Parcas, ut vitam, ac bona fata producant: Cererem, ut ad cultum, victumq; necessaria suppeditet: Iovem denique, & Deos, Deasq; ut haec ipsa pro numine quisque suo rata habeant, & populum Romanum omni bonorum genere animi, corporis & fortunae afficiant. Cur autem praeter ceteros Solem, & Lunam, sive, quod perinde est, Apollinem, & Dianam invocarint, hanc habuisse causam videntur, quod Sol calorem, Luna humorem rebus nascentibus sufficit, ille suo motu annos, haec menses metitur, uterque autem orbem terrarum luce sua collustrant, vicissitudines dierum, ac noctium, commutationes tempestatum, & quadripartitas anni conversiones efficiunt, denique quod vi caloris, atque humoris temperata, vel intemperata, tum annonae ubertatem, aut caritatem, tum valetudinem commodam, aut incommodam afferunt, ipsamq; adeo pestilentiam immittere putarentur: unde etiam, qui morbo interibant, eos ab Apolline, & Diana perire credebant, viris Apollinis, mulieribus Dianae sagittis interfectis. Porro quonia tribus temporum tractibus spacia motus metimur,

B

praesenti,

presenti, præterito, futuro, propterea totidem Parcas præsides,
 atque arbitras hominum vitæ statuebant, Clotho, quæ filo suo
 præsentis momenta temporis & torqueret, & ostenderet, Atro-
 pon, quæ in fuso explicasset, ac referret præteritæ ætatis spacia,
 Lachesi, quæ formando, subigendoq; digitis, quod in colo reli-
 quum foret, consequentium annorum vitam & regeret, & in-
 dicaret: easq; ut continuarent bona, & secunda fata fati bene
 jam peractis, invocabant. Atque hæc dicat aliquis superstitio-
 sa, atque impia esse, nec digna, quæ commemorentur: quasi verò
 hoc aut nesciamus nos, aut jam ante professi non fuerimus. Et
 tamen qualia qualia illa sunt, habent nihilominus opinor, quæ &
 vir doctus observare, nec alumnus veræ religionis improbare
 penitus possit. Neque hoc idcirco dico, quòd aut me, aut quen-
 quam Christianum discere oporteat, vel ab Augusto Cesare,
 vel à vate Horatio, quid rei divinæ facere nos in hac festivi-
 tate conveniat: non ita insanus, aut absurdus sum. Quid igitur
 est? hoc videlicet commodi habet Horatiani illius carminis, ut
 latinè dicam, laudatio, ut nos intra certos, & legitimos termi-
 nos contineat, ne in hoc dicendi instituto ad argumenta non so-
 lum aliena, sed etiam importuna deferamur. Agite igitur veræ
 rationis vestigijs insistamus, & ad operam rei divinæ dan-
 dam, id quod caput, ac summa esse debet hodiernæ hujus nostræ
 sollemnitatis, accedamus: cum sanctis illis, & divinitus inspiratis
 hominibus reddamus Deo vitulos labiorum nostrorum: immo-
 lemus sacrificium laudis, & reddamus altissimo vota nostra: of-
 feramus per Iesum Christum hostiam laudis, fructum labiorum
 confitentium nomini ejus: laudemus nomen ejus cum cantico, &
 magni-

14.
 l. 50.
 r. 13.
 l. 69.

magnificemus eum in laude: & placebit Deo super vitulum tenellum cornua producentem, & ungulas. Verè enim hæc est res divina illa, qua nulla victima Numini cælesti gratior maclari, nulla acceptior adoleri potest: hæc est legitima festivitatis secularis celebratio, qua nulla sanctior, nulla augustior, ac magnificentior institui potest. Hæc solennitas nihil, præter debitas Deo laudes, Christo grates, ut erat in veteri Ecclesiæ formula, postulat: hic planè summus ille colendi Dei ritus est, quo majestatem illius venerari, ac celebrare, quo ad ejus in hac imbecillitate licet, nunc, ac solidè possumus. At quanta sese offert nobis beneficiorum divinum vis & copia? quanta dignitas, & præstantia? non est ingenij nostri, non dicendi facultatis, Auditores, ut vel omnia cõplecti, vel præcipua saltem non dico exornare, aut illustrare, sed enarrare tantùm, atque cõmemorare possim. Neque enim, ut Deo Opt. Max. & solemne, & facile est, mortales etiam impios, etiam indignos, quid enim meritis muliere nati debeatur? omnis generis commodis afficere, cumulare, obruere: ita quantum vis cordatus, quantum vis disertus homo memorem gratumq; animũ, ac sermonem ad cõmoda illa condignis modis prædicanda afferre possit. Veruntamen abducamus paulisper orationem ab illa infinitate beneficentiæ divinæ, cujus tamen memoria ex animis nostris nunquam debet discedere, atque ad illustria maximè, & peculiaris Academiae nostræ promerita revocemus. Vnde ergo potius incipiam, quàm ab illustrissimis, celsissimisque ducibus, & Electoribus Saxonie, quibus Deus pro ineffabili, atque immensa bonitate, & sapientia istam animi mentem dedit, ut hanc Academiam suam, bono orbis Christiani aperirent, auferent, defenderent? an memorem FRIDERICI III. sapientiam, qui non solum

B 2

hac

hoc eximium nomen suis præstantissimis actionibus consecutus
est, sed Felicis etiam obtinere meruit, dum eius operis fundamen-
ta jecit, in quo felicitas, ac beatitudo temporaria, æternaq; exci-
tanda esset? an fratris eius IOHANNIS constantiam, qui qua
gravitate religionem repurgatam & agnovit, & fovit, eadem
renascentes bonas literas amplexus, ac tutatus est? aut filij hujus
IOHANNIS FRIDERICI magnanimitatem, qui ab ea con-
fessione, quæ piorum, & doctorum hujus Academiæ opera virorū
è formula veritatis verbi dīvini concepta, & conscripta esset,
nullis minus deterreri, nullis periculis dimoveri potuit? quī porro
MAURICII fortitudinem, atque heroicos spiritus prædicem, qui
bello sacro dissipatam Academiā secundissimis auspicijs in pris-
tinum statum restituit? aut fratris eius AVGVSTI incompa-
rabilem pietatem, qui eam cum alijs luculentissimis commodis, &
ornamentis amplificavit, tum intestinis corruptelis, ac fraudi-
bus laborantem salutarī concordia constituit? aut denique
CHRISTIANI I. hujus filij, magnificentiam, qui eandem om-
nibus rebus etiam atque etiam prælustrem effecturus erat, si
per fati acerbitatem licuisset? Ignoscant mihi potius, ignoscant
heroum illorum manes sanctissimi, ac beatissimi, quod illa ipso-
rum plurima, ac præclarissima in hanc Rempub. literariam meri-
ta mentione tam tenui, ac brevi perstrinxi. Nec enim nostrarū
virium est, ista tam ampla, tam diffusa, tam insignia ac dīvina
ita vel cogitatione complecti, vt nihil omittatur, vel oratione
persequi, ut nihil non pro dignitate dicatur: & si virium nostra-
rum foret, vix tamen hujus esset temporis. Quum enim vnius alius
cujus illorum omni laude superiorū Principum promerita ali-
quot

quot dierum spacio, vel accuratissima oratione, comprehendi parum commodè queant: quò possim, aut debeam ego omnium ipsorum præconia, unius horæ curriculo, idèq; subita hac, & penè sub manibus nata dictione concludere? neque verò tot illa benefacta, atque opera vel ita obscura sunt, ut lucem ingenij cuiusquã desiderent, vel ita vulgaria, & abjecta, ut orationis artificii, & tanquam ad miniculo egere videantur: illustria omninò sunt, eximia, singularia, admiranda, denique, ut verbo dicam, talia ac tanta, quorum nomine Deo omnipotenti, ac benignissimo semper gratias & agere, & habere jure merito debeamus. Itaque vigent ea in verissimis publicorum, & toto orbe terrarum testatorum scriptorum monumentis: versantur in ore, ac celebritate omnis Europæ: vivunt in animis, ac memoria piorum, & bonorum omnium: extant denique, & extabunt ubi vis locorum, atque in hac ipsorum præsertim, illa purioris religionis, atque artiũ meliorum & parente, & alumna, Academia, quàm diu erit hic orbis Christianus. Atque hoc jam loco secundo dicendum etiam non nihil videtur, de hujus Academiæ tum professoribus, tum auditoribus, quorum studia ad discendum pariter, & docendum excitata diuinitus, atque comparata fuerunt. Sed ut paulò ante adulationis suspicione inflorentissimum illum, & amplissimum principalis munificentie campum ingredi refugi, quum & pulcherrimi, & uberrimi, & certè saluberrimi illius fructus non modicum, quod dicitur, sed ipsum horreum orationis copiosissimæ poscerent: ita nunc arrogantie metu in hanc partem multò pauciora verba afferam necesse est, quàm aut expectat quis, aut summa, ac singularis doctissimorũ illorum, inq; omni discipli-

narum genere excellentissimorum virorum virtus postulat. Circumsonant etiam aures meae sapientissimi Socratis iudicio, qui dicebat Atheniensem Athenis laudare haudquaquam difficile esse, nec minus Antalcidae illius Spartani, hominis non minus faceri, quam gravis sententia, qui quum cerneret hominum turbam confluere, quæsi vit, quid rei esset, quumq; audivisset, Hercule a declamatore quodam laudatum iri, quis vero, inquit, illum vituperavit? Usque adeo & refert, & Valere unice debet, id quod ego eloquentiae animam vocare soleo, animadvertere, quid in dicendo, & quatenus deceat. Quamobrem quum ipse hoc argumentum orationi meae jam ante præscripserim, non quidem laudationis ullius, quod genus alterius loci est, & temporis, sed celebritatis tantum secularis, cuius potissimas, vel unicas potius partes sibi pietas vendicat: consequens deinceps est, ut & hoc genus divinae benignitatis nostro more percurramus. Ac dicere quidem singillatim quot professores, & quibus tum nominibus, tum patrijs, tum etiam quibus successionebus, item quam longo tempore, quanto ve cum fructu hic docuerint, infinitum fortasse fuerit, & historico certè, quam oratori convenientius: mihi sanè, ut ingenuè loquar, non modò extra meam facultatem, sed etiam supra scientiam positum esse videtur. Faciant id magis opportuno tempore, quibus ea res comperta est: nos aurium operam non solum attentam, & benevolam, sed docilem etiam, atque assiduum ad cognoscendum afferemus. Sed quo iudicio, aut quo verius piaculo, illa ornamenta, & firmamenta Academiae nostrae iacebimus, Lutherum, & Philippum? prohibeat fas, prohibeat jus: Deus ipse tam execrandum à nobis scelus detestetur. Iacebat
religio

religio Christiana oppressa superstitione, Veritas mendacio, libertas tyrannide, pietas fraudibus, sanctitas nundinationibus, sacrorum ritus nugis ceremoniarum, Virtutum exercitatio partim nugatoriorum, partim nefariorum operum perfunctionibus, non via amplius ad salutem, & coelum, sed praecipitium ferebat ad Orcum, & perniciem, omnia denique erant perdita, conclamata, deposita: quum ecce MARTINVS LVTHERVS animo vere Martio excitatus, nec minus robore Herculano, sive rectius dicam, spiritu Heliano confirmatus, cosmopolitanum illum Praesulem, illum hominem semideum, illum Deum semihominem, illum Petri, si diuis placet, Vicarium, illum caelestis, atque infernalis aule & Clusium, & Patulcium, illum inquam Cacum Adventinum aggreditur, sternit, elidit, & verbo divino, cuius vi atque autoritate tanta illa ageret, suam maiestatem, Ecclesiae libertatem, peccatoribus Servatorem, Servatori ipsi vindicias, atque gloriam restituit. Altera autem ex parte, pro hoc sanctum Deum, quae erat discendi in scholis ratio, qui cultus ubique ingeniorum? res est manifestior, quam ut verbis pluribus dici debeat, miserior, quam ut satis multis dici possit. Linguae illae, quae disciplinae universae humanae, ac divinae non tam ornamenta, quam fundamenta, & fulcra sunt, ad unam omnes ignorabantur: nemo erat, qui hebraice, nemo qui graece, vix unus & alter, qui semilatinè intelligeret: barbari omnes, aut infantes erant: ipsas porro artes, ac scientias ita tractabant, ut satius fuisset infelices illos homines eas omnino non attigisse. Atque in hoc statu literarum, quae temporum injuria, et multo magis hominum vecordia ita acceptae esset, ut actum de ijs penitus videretur, nihilo tamen minus ille ipse literae, o bonitatem Dei singularem, o nullo orationis ambitu comprehenden-

hendendam, nullo verborum honore satis prædicandam clemen-
tiam! ex ignorantia illa teterrima caligine, illoq̄ barbariei spur-
cissimo cæno oculos sustulerunt: idq̄ opera potissimum, industria,
labore, ac vigilijs doctorum Germaniæ Phœnicis PHILIPPI
MELANCHTHONIS, qui tanquam Augiæ stabulum purgan-
dum accepisset, ita philosophiæ sacrarium partim barbariei sor-
dibus munda vit, partim quisquilijs Sophisticæ libera vit, suumq̄
liberalibus artibus, ac linguis nativum colorem, & quendam eti-
am nitorem reddidit. Itaque quòd barbari hodiè non sumus,
quòd cum plerisque Europæ regnis literarum gloria certamus,
quòd in Germaniæ reformatis, & his præsertim nostris regionibus
per hos centum annos adhuc vsque diè in templis, atque scholis,
in Prætorijs provincialibus, in privatis, & publicis judicijs, pio-
rum, doctorum, & prudentium hominum copia abundamus, quòd
denique ex hac schola, tanquam ex equo quodam Troiano, omnis
generis viri doctissimi prodierunt, Philosophi, Medici, Iuris-
Consulti, Theologi: nemini, post Deum immortalem, patrem il-
lum luminum, nisi Melanchthoni Philippo acceptū referre debe-
mus. Hoc divinum beneficium, si quid aliud, etiam atque
etiam par est nos tum gratis animis agnoscere, tum, quod haben-
de, atque etiam referendæ gratiæ munus potissimum est, cu-
stodire, & conservare, adeoque ornare, & illustrare.
Quod quidem ita consequemur, si, quod vitæ genus instituimus,
in eius cursu eam rationem tenuerimus, qua ad propositā, atque
optatam metam pertingamus. In academia vivimus: in bonis
artibus, ac literis vivimus. Iam quid vel hæc nostra, vel alia
quævis academia Christiana? Virum otij ambulacra, desidiæ
latibula

latibula, somnolentiæ cubilia, aut etiam nepotationum tabernæ,
ne, nequitiæ lustra, discursionum, clamationum, tumultuationum,
dimicationum bacchanalia, aut arenæ sunt? minimè gentis
um: quid igitur? cælestis veritatis oracula sunt, humane solertiæ,
prudentiæ, ac sapientiæ adyta sunt, virtutum officinæ sunt, ling
guarum, disciplinarum, ac scientiarum mercatus sunt, industriæ,
diligentiæ, ac doctrinæ gymnasia sunt, denique pietatis, honestatis, hu
manitatis, ac tranquillitatis curricula sunt. Quæ omnia eodè modo
de bonis, ingenuis, ac liberalibus artibus, & linguis intelligi, ac
perhiberi debent. Qui igitur hoc suum vitæ genus cum laude,
ac profectu decurrere isto animo, ac modo institit, hic verè aca
ademicus, verè bonarum artium studiosus, verè rerum divi
narum, atque humanarum cultor, & sectator est, hic privatis
suis rationibus ita consulit, ut olim publicis prodesse possit, hic
Deo benignissimo pro literarum instauratione, reparatione quæ lon
gè gratissimam acceptissimamque gratiam refert: Quæ si difficilia vi
dentur, ut sunt omnino: cogitare debemus, gloriosa esse, quæ
sunt operosa, neque tamen usque adeo esse operosa, quin indu
ctione animi alacri, & prompta, tum præterea, ingenij, atque
industriæ assidua contentione superari possint: divini præsertim
numinis ac spiritus auxilio ad eam rem, incensis fide precibus,
implorato. Itaque provide, ac propè dicam piè noster ille in car
mine seculari suo, Dij probos mores docili iuventæ da
te, inquit, ut quod supra vires humanas positum videretur, ad
id divinam opem adhiberet, complexus rem universam, unde &
liberalis iuventutis educatio, & hominis perfectio, & salus ipsa
rei privatæ, ac publicæ pendet, duplici genere probitatis morum,

C

G

Et docilitatis ingeniorum Quorum sanè ea neutrum sine altero esse potest. Quid enim foret aut ipse Aristoteles, aut Hippocrates, aut Papinianus, si morum improbitate honestissimas illas, pulcherrimasque scientias deturpent: aut doctor quispiam sesquiseraphicus, nisi suum illud religiosum vitæ genus literarum elegantia, ac splendore illustret? Alterius sic

altera postulat opem res, & coniurat amicè, ut rursus loquamur cum gravissimo illo nostro Venusino. Ac me, in hac jucundissima tantæ rei commemoratione, gravis quædam, & permolesta interturbat sollicitudo, cuius ne vos quidem, Auditores humanissimi, expertes habere debeo. Decet enim bonos, & salutis communis amantes cives communibus curis, ac remedijs impendentia mala, quæ possunt, avertere. Equidem nolo hoc tam sacro, & auspicato die, verbum ullum triste, aut ominosum facere: scio enim linguis potius favendum, & à litibus, ac iurgijs omnibus abstinendum esse. At enim verò male ommatum videri non debet, quod ad mala procuranda refertur, neque objurgationis speciem induere par est, quod aperte veritas ipsa loquitur. Itaque quod dicturus sum, in bonam partem accipi debet, quum ab optimo animo profiscatur. Ac nemo, ut opinor, eorum, qui hic adsumus, aut Stephanionis illius, aut etiam nobilis apud Martialem matronæ ætatem sibi vel sperat, vel expetit,

Vt sua bis Latio spectetur vita Tarento,
ut le viter immutemus Poetæ illius versiculum. Itaque quis alterum seculum, si qua futura posteritas est, ac potius lustra non ita multa, literarum bonarum, ut uno verbo omnia dicam, status, aut facies exceptura sit, ei demum obscurum esse potest, qui tanta
tam

tam huius nostrae aetatis & ingeniorum inertiam, & iudiciorum
sinisteritatem, & discendi preposteritatem, & industriae deni-
que supinitatem, frigus, ac veterum vel non videt, vel quan-
tum mali ea res habeat, parum animadvertit. Verum nos scæ-
va, atque acerba ista missa faciamus: atque ad id tandem, cuius
caussa ista tot verba, neque tamen, ut speramus, aut nimis mul-
ta, aut etiam non satis apta fecimus, accedamus, & orationem
hanc secularem concludamus. Tibi igitur, Deus optime maxi-
me, autor, conservator, ac moderator huius rerum universitatis,
qui cum Filio, et Spiritu sancto unum verum Numẽes ab eterno
in eternum, cuius maiestas infinita, bonitas consummata, sapi-
entia inexhausta, potentia interminata est, cuius nutu Sol, &
Luna anfractus, reditusq; suos conficiunt, in cuius manu sortes
nostrae sunt, gratias & habemus, & agimus, quantae ab angu-
stis istis pectoris humani proficisci, quantae ab hac infantia oris
mortalis depromi possunt, maximas, & singulares, quod Ducibus,
atque Electoribus Saxoniae per hos centum annos eam ani-
mi mentem & dederis, & conservaris, ut hanc Academiam, bono
reip. Christianae, aperirent, ad eamq; tuendam, fovendam, am-
plificandam, & illustrandam omnes curas, conatus, ac studia
sua prolixè, & liberaliter conferrent; accensam in ea, ministri tui
MARTINI LUTHERI opera, Evangelij lucem agnoscerent, con-
tra nequam Dæmonis rabiem, Antichristi Romani tyrannidem,
Sophistarum oppugnationes, hæreticorum adversationes, Spiri-
tus tui auspicijs, & ductu verbi abs te patefacti defendendam,
stabiliendam, ac propagandam irent; bonas artes, ac linguas per
doctos, & industrios viros, in quibus PHILIPPVS MELANCH-

T H O N familiam ducit à situ atque ex interitu receptas,
politas porrò, limatas, & conseruatas uellent; itaque se com-
pararent, ac gererent, ut in his suis regionibus maiestas nominis
sanctè, augustèq; celebraretur, regnum gratia, ac uita longè lateq;
salutaris fidei interuentu, protenderetur, & uoluntas nuius tui
sanctis ac tibi placentibus actionibus obseruaretur. Hoc opus at-
que munus, quantum quantum est, quod certè maximum, atque
amplissimum est, nec ullius hominis mente, ac lingua satis cogita-
ri, aut explicari potest, totum est planè tuum. Tu huius
Academiae nostrae fundus, tu custos, tu rector fuisti: à te omnia
habemus, tibi omnia debemus, à te etiam omnia expectamus.
Quare age benignissime, atque indulgentissime parens, munus
hoc bonitatis, ac misericordiae tuae proprium, ac perpetuum in-
ter nos esse jube: ne ad ingrati animi impietatem, ne ad gra-
uissima, atque plurima crimina respice, quibus te quotidie alij
infirmitate, alij improbitate offendimus: dele atque oblitera
illa sanguine filij tui; nosq; fauoris, ac spiritus tui aura in uiam
rectam, atque ad uitam aeternam prosequere. Academiam
hanc tuam in agnita ueritate, in fide salutari, in studio cultuq;
omnis liberalis doctrinae, omnisq; uirtutis Christianae conserua:
docentes ac discentes spiritu ueritatis, sapientiae, intellectus,
consilij, fortitudinis, scientiae, timoris, spiritu potentiae, dile-
ctionis, & sobrietatis, spiritu gratiae, ac precum affla, collu-
stra, corrobora: Antichristi execranda impietatem, abhor-
rendam idolomaniam, & immanissimam crudelitatem profliga,
& pessunda: tyrannidis Turcicae mactationes, vastationes, coer-
ce, compesce, opprime: largire praeterea aeris salubritatem, tem-
pestatum.

pestatum opportunitatem, annonæ ubertatem, pacis tranquillitatem, & ceterorum commodorum corporalium copiam. In primis illustrissimum celsissimumq; ducem, atque Electorem Saxonie, CHRISTIANVM II. Principem, ac Dominum nostrum, unâ cum illustrissima familia omnibus animi bonis, omnibus corporis commodis, etiam atque etiam plena manu orna, atque cumula: ut sub Evergetæ illius florentissimo, ac fortunatissimo patrocinio, quisque in suo munere tibi grata, Ecclesie fructuosa, reipub. commoda, nobisq; singulis atque universis salutaria dicamus, & faciamus: usque dum statione vitæ, in officijs nostris functi, beatissimam illam immortalitatem cum hac ærumnosa mortalitate, tua gratia, ac misericordia, commutemus. Amen.



C. 3.

AD.

AD TH. SIBERI
Carmen Seculare,

Maximum sedis superæ parentem,
Optimam summi sobolem parentis,
Bis sacrum Flamen celebrate læti
Tempore festo.

Laudibus certent bene ominata
Verba divinis, duplicetq; plausus
Lingua gratantes, & ovantium ora
Iubila tollant.

Hanc Scholam denos decies per annos
Sospitem & salvam quoniam potente
Dextera servat, varioq; laudum
Flore frequentat.

Hic nefandi Relligio tyranni
Fraudibus Caci caput expiatum
Sustulit rursus, nitidisq; cœli
Intulit astris.

Hic & Hebræa, pariterq; Graia,
Et vel in primis Latia loquela
Scita vulgavere scientiarum
Omnigenæ artes.

Ast abhorrenti impietas paratu,
Atque Divorum malesana turba,
Et prophanarum ceremoniarum
Ritus anilis,

Ilicet

Hicet tetrum petière Avernum,
Atra quà Styx errat inerte lapsu,
Crebra sed passim superexcitato

Ponte superbit.

Altera ex parte agmine quadriformi
Se rudis stribligo agit exulatum,
Et Sophistarum malè feriata

Natio mendax.

Ergo cœlestis patuère & aures
Vocibus verbi meliora doctæ:
Ergo & humanis sonuère sensis

Ora disertæ:

Antè quas dirus furiabat error
Romuli decreta Anomi pavere;
Ante quæ vecors ruditas vetabat

Hiscere verbo.

Iamq; doctarum genus omne pleno
Artium cultu viget: eruditi
Troicum certant & equum albicolles

Dicere Musas.

Testis est Germania tanta, testis
Dania illustris, populiq;, vel quos
Pannonis mittit populosa, vel quos

Finnonis ora.

Gentis humanæ sator, atque vindex,
Quem Patris mentem, sapientiamq;
Scimus æternam, solidumq; robur

Maxime Christe,

Candido

Candido mitis, placidusq; vultu,
Quo polum, terrasq; sereniore
Pace componis, stabiliq; nexus
Fœdere firmas,
Hanc scholam porrôq; tuere præsens,
Remq; sacrorum simul & librorum
Alterum in lustrum, meliusq; semper
Provehe seclum.

Da probos mores docili iuventæ,
Da professorum bona fata turbæ,
Da tuis, quò te redament, colantq;
Credula corda.

Inclitam in primis aciem potentis
Saxonum præsta gladij: salubri
Explicit latè generosa stirpem
Germinè Ruta

Vnde securis sibi tota curis,
Et tibi se Ecclesia dedat uni:
Vnde prælustres Academia auctus
Docta reportet.

Fiat. hoc clarè quater, ampliusq;e
Concinat nobis chorus universus:
Fiat. hoc rursus juvet usque & usque
Dicere. Fiat.

XV. Cal. Novembr.

Anno cl. l. CII.

ULB Halle

3

004 789 121



Von





Q. h. 28,9 ORA

Illustris.
simúmqu

DN. CI
DVCEM,
SAXONIA
RINGI
BVE

CELEB

Ad ant

ADAM

Typis C

V c
3124

Celsif

pem,

MII.

DREM

TH V.

IAE,

IAM

us

CII.

